

animo & stylo egregie, id est, impudenter & scelerate mentitur, Philippum Melanthonem Carlstadij comitem & socium fuisse, & hausta occasione ex scriptis Lutheri, studiosis adolescentibus persuasisse, non esse operam dandam philosophia, Platonem, Aristotelem, Ciceronem & id genus libros Vulcano esse consecrandos, & in pistrino artem pistoriam exercere voluisse, & eo adegisse plerosq; adolescentes, ut artium liberalium combustis libris, mechanica opificia complecterentur, & multis locis schola clausa tenerentur. Dignae nates insani monachi istius essent virgis, & castigatione praeceptoris Philippi, qui vnus in Germania studium Philosophiae purioris, & linguarum nobis restituit, & ea in propagatione literarum sacrarum & humaniorum praestitit, ad quae Surius, ceu vespertilio ad solem meridianum, caecitare potius, quam de ijs iudicare debet, ut non tam nostris hominibus, quam Pontificijs quoq; sincerioribus & eruditioribus notum est. De his igitur, quae per se sunt manifesta, plura nunc fieri verba, necesse non est. Lutherus etiam philosophia studia amavit, dilexit, cognouit exacte, propagare studuit, & admiratus est, & nihil aliud, nisi eius abusum improbauit, ut & Paulus Apostolus, & orthodoxi omnes omnibus temporibus fecerunt, qui duo haec alijs proposuerunt consideranda, quorum prius est, Philosophum merum, id est, carentem cognitione Theologiae, & praetendentem.